



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXIV. De iusiurando calumniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
 CHRISTI  
 1237.

XXIV.

Iusiurandum calumniæ in causis ecclesiasticis cuiuslibet, & de veritate dicendi, in spiritualibus quoque, vt veritas aperiatur facilius, & causæ celerius terminentur, statuimus de cetero præstari in regno Angliæ, secundum canonicas & legitimas sanctiones, obtenta in contrarium consuetudine non obstante. Huic statuto vtiliter annectentes, vt iudiciales induciæ iudicis dentur arbitrio, iuxta legitimas & canonicas sanctiones.

XXV.

Vsum procuratorum in obsequium iustitiæ introductum, vt eius qui causæ suæ non potest intendere, per alium absentia releuetur, conuertit frequenter antiqui hostis inuidia in abusum. Ex consuetudine namque, vt dicitur, hic habetur, vt citatus ad diem certum, procuratorem tantum <sup>\* forte vi</sup> constituat ad eundem absque \* vt per literas sigillo authentico non signatas: vnde fit quod dum talis procurator vel probare mandatum, vel fidem literis imponere non vult per testes, aut aliud impedimentum occurrit, nil agitur illa die: sed nec expirante procuratoris in sequenti, sicque perit illa instantia sine fructu. Huic igitur fallaci cautelæ clypeum opponere cupientes, statuimus de cetero, vt in causis ecclesiasticis regni Angliæ procurator constituatur simpliciter; & si constituatur, ad diem non vnum tantum, sed plures continuandos, si opus fuerit, constitui volumus, & intelligi constitutum. Mandatum etiam per scripturam probetur authenticam, nisi apud acta fuerit constitutus, aut